

## DE ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS

- 1473 Cap. LXIX. Integra fide credendum est beatam Mariam Dei Christi matrem, et virginem concepisse, et virginem genuisse, et post partum virginem permansisse. Nec est blasphemiae Helvidii acquiescendum qui dixit: Fuit virgo ante partum, non virgo post partum. PL  
58, 996

RURICIUS (Senior) Lemovicensis<sup>1</sup> († post 507)

## EPISTOLA X

- 1474 [...] Nam et Dominus in Evangelio, cum ei a circumstantibus diceretur: *Ecce mater tua, et fratres tui quaerunt te, volentes videre te* ita respondit: *Quae est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et ostendens apostolos, sequentes se: Nonne hi, qui faciunt voluntatem Patris mei?*<sup>2</sup> Mater enim Christi dici possumus, quando Christum corde gestamus. Nam et S. Maria, quae et virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit, Dominum nostrum non complexu virili, sed fide maritante concepit. PL  
58, 90

## S. AVITUS Viennensis Allobrogum (ca 450 † ca 518)

## EPISTOLAE

- 1475 Ep. II. [...] Filium Dei, cum Patre ante saecula permanentem, quem idcirco ad salutem nostram descendisse de caelo ut corpus assumeret fides recta confitetur, negant in alvum femineam potuisse contrudi; cum Dei Filius, utique Deus, qui dixerat per prophetam: *Caelum et terram ego impleo*,<sup>3</sup> non potuerit venire quo erat, nisi per susceptionem carnis acquiesceret esse quod non erat. Quam conclusionem metuens Eutyches ille quem loquimur, cum in synodo superius designata studiose ab auditoribus urgeretur, ut Mariam virginem Θεοτόκον, id est quae Deum peperisset, pronuntiaret atque subscriberet, ad ingenii nequitiam fraude conversus, Χριστοτόκον, quae Christum tantummodo videretur edidisse, confessus est: ut scilicet PL  
59, 204

<sup>1</sup> Vel Lemovicinus (Clavis 985).

<sup>2</sup> Matth. XII, 47, 48, 49.

<sup>3</sup> Ier. XXIII, 24.

• PL 58, 760, 763, 825, 843, 854, 855, 856, 881, 902, 905, 907, 911, 919, 981, 982, 1068, 1077, 1101, 1106, 1110, 1112.